



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De virginibus, cap. 79.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

quod & promisit: cumque completa visitatione rediret Treuerim, de promissione satis eum pœnituit, volens iterum orare ubi prius, quædam neglecta in prima visitatione sperans sibi denuo esse reuelanda. APOLLONIVS: Quæ fuerunt illa? CÆSARIVS: Vbi anima sancti Materni fuisset infra illos quadraginta dies, quibus sepultus fuerat. Quid plura? Promissi sui memor in domum Praepositi se recepit, & sicut ipse procurauerat, in ipsa nocte solito maturius surgens, & matutinas decantans, monachis relictis, & Conuerso assumpto, ad ecclesiam sancti Eucharij perrexit, cyptram intravit, vbi sub forma prioris visionis præfatos Pontifices videre meruit. Ad quem sanctus Eucharius: Noui ad quid veneris; ecce Maternus, interroga eum. Quod cum fecisset, respondit ille: Anima mea per illos quadraginta dies fuit in paradyso, & quia sciebat se ad corpus esse reuersuram, mercede sibi in cœlestibus præparata, frui non potuit. Mane ergo in officio tuo, quia per palmam martyrii citò nobis sociaberis. Quod ita factum est: nā à quodā misero, propter zelū ordinis, latenter interfectus est. Deinde beatus Pontifex adiunxit: Existente me in paradyso, nil actum est in mundo quod non viderim. Vides quanta sit potentia electæ animæ à corpore exutæ? Si tanta vedit in terrestri paradyso, quanta putas videret, quando fruitur Deo? APOLLONIVS: Non ambigo, quin omnia tunc sciat & videat. Si sanctus Benedictus adhuc existens corruptibilis, ex beneficio vnius animæ cœlos penetrantis, totum mundum vedit sub uno radio solis ante oculos suos collectum, non mirum, si anima Deo unira contemplatur omnia. CÆSARIVS: Bene sentis, & hic de confessoribus sit finis. De visionibus verò quadrundam virginum, aliqua tibi referam, prius tamē de ipso ordine virginali te expediam.

CAPVR LXXIX.

Tanta est gloria virginalis, ut angelis comparetur, quia qui non nubent, neque nubentur, erunt *et arum* sicut angeli Dei. Hinc est quod in tabernaculo *Virginis* fœderis tertio operimento, quod erat de pellibus rubricatis,

*Greg.l. 4.
dial.c. 3 §*

326 DE DIVERSIS VISIONIBVS

Exod. 26 bricatis, quartum fuerat suppositum, de pellibus hyacinthinis. Per pelles rubricatas designatur martyrum, quod est consummatio omnium virtutum: per hyacinthinas, que aerei sunt coloris, virginitas, que, ut quidam dicunt, super omnem virtutem est, & angelicam redolent conuersationem. Virgines sequuntur agnum

Apos. 14. quocunque ierit, utroque pede, id est, integritate mentis & corporis. APOLLONIVS: Ergo virgines continentibus & coniugatis maiores sunt. CAESARIVS: Maiores sunt, si compares statum ad statum, quia dignior est ordo virginum, quam ordo coniugatorum: artamen in ordine coniugatorum, vel viduarum, multi sunt multis virginibus in merito multo maiores: quia penes carnis integritatem, quae virtus non est, quam etiam infideles habent, meritum non constitit, sed penes charitatem. Quis ergo audeat alias virgines, etiam sanctissimas, Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, qui coniugati erant penè omnes, anteferre?

APOLLONIVS: Quid ergo est, quod sancti in tantum commendant virginitatem? CÆSARIVS: Ut ostendat quantum Deo placeat castitas. Hæc in virginibus vocatur virginitas, sive continentia virginalis; in coniugibus, pudicitia coniugalis; in viduis, continentia viduialis. Vnde de eodem seminre, quod de manu seminantis cecidit in bonam terram, aliud fecit fructum tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum: primus debetur coniugatis, secundus viduis & continentibus, tertius virginibus: & est sapere in præmio, trigesimus major centesimo, & hoc propter intentionem charitatis. Hinc est quod beatam Mariam Magdalenam ecclesia in Letanijs anteposuit virginibus, ne illis propter ruinam inferior videatur. Noueris tamen melius esse coatinere, quam nubere, quia Christus, qui sapientissimus est, virginitatem elegit; & studium seruandæ virginitatis pro Christo, charitatis virtutem plurimū incendit. Quam sint iocundæ, quam salutiferæ visiones sanctorum virginum, sequentia declarabunt.

CAPV